Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3165
Quelle:
Copyright:

adtulerit, in Deceſſorum Adverſariis non reperio, niſi Bibliothecam *Fuggerianam Ferdinandi* III. juſſu emtam ab eo, et *Auguſta Vindel.* huc advectam excipias, qua de re *Lambecii* T. I. p. 67. edit. *Kollar. col.* 139. adiri poterit.

DCCCCXXVII.

857 Codex membraneus lat. Sec. XVII. Folior. 41. 12. titulis deauratis eleganter ſcriptus, Precatorius eſt continens: *Officium SS. Nominis Jeſu* cum adjunctis Orationibus, *Officium S. Crucis* itidem cum Orationibus.

DCCCCXXVIII.

866 Codex membraneus lat. Sec. XVII. Folior. 105. 12. literis characteres *Aldinos* ſeu Curſivos *Italicos* egregie imitantibus, ut impreſſas credas, exaratus, auroque fulgidus inſcribitur: *Viridarium Animæ ex Variis Authoribus Collectum. Anno Domini 1.6.7.4. die 7. Nouembris. Opera Stephani Zarębа*, quem *Polonum* fuiſſe autumo. Inſunt porro praecipue: Meditationes ex *Auguſtino*, *Anſelmo*que lectae, Officium Immaculatae Conceptionis B. V. M. Precationes dictae *Auguſtini* ad Eandem, Officium de VII. Ejus Doloribus, Exercitia pro Sacramento Poenitentiae et Euchariſtiae, Officiumque Defunctorum. In uſum *Principis* haec conſcripta fuiſſe, et *Auſtriaci* quidem, fidem faciunt a *fol.* 55. Orationes *Regis aut Principis*, *qui Populum regit et gubernat*, item quibus *foll.* 30. p. 2. et 57. p. 2. S. *Leopoldus Auſtriae Marchio* colitur. At vero *foll.* 29. et 49. *Princeps* hic ipſo nomine proditur: *Ego Leopoldus.* Itaque Εγχειριδιον iſtud curatum eſt anno imperii ejus ſexto decimo. Quo anno quid Vir piiſſimus de Faſtigio, in quo eum Deus collocarat, ſenſerit, e Formula, quam adſcribo, diſce: *Omnipotens æterne Deus! agnoſce et vide, quam timendis periculis pro officii mei conditione undique ſim implicitus. Scio non eſſe mihi Dominum, ſed ſeruitutem et officium. Scio, non bruta meæ fidei commiſſa, ſed filios ſelectiſſimos, illoque Tibi charitatis vinculo conjunctos, ut pro ipſis te morti tradere non dubitaris. Quis ego ſum, mi Deus! qui tanto officio ſatis faciam? Homo ſum imperfectus et æger, falli et errare mihi facile. Populus tuus plurimus eſt, et in omni loco præſto eſſe qui poſſum? Quapropter, o Domine! Te ſupplex precor, da mihi ſedium Tuarum aſſiſtricem Sapientiam, mitte illam de Coelis ſanctis Tuis, et a ſede magnitudinis Tuæ, ut mecum ſit et mecum laboret, et intelligam et ſciam, quid acceptum ſit apud Te, ne quid faciam vel in gratiam alicujus, vel in odium, ſed ſecundum veritatem et juſtitiam ſententiam feram. Amen.*

DCCCCXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. 867
XVII. Folior. 41. 12. nitidiſſime exa-